



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 49. Hujus controversiæ exitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII. „Præterea eadem folia, necnon appellationem, arrestum, aliasque in eis
A. C. 1704. „contenta quæcunque nemini suffragari
 „posse, ad effectum impediendi, declinandi, seu etiam suspendendi executionem præfatarum nostrarum literarum, quæ juxta earum formam, & tenorem servari omnino debeant, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus. „

Hiscæ etiam Lotharingici Ducis Constitutionibus sacerdotali pectore strenue obstitit Henricus Tullensis Episcopus, qui multis apud eundem Ducem argumentis institit, ut ab inconsulto Ministros Ecclesiæ vexandi proposito desisteret, ac propterea idem Episcopus a summo Pontifice transmissis die vigesima sexta Januarii literis plurimum commendatus est.

§. XLIX.

Hujus controversiæ exitus.

Epist. & Brev. Clem. XI. p. 213. Perspecta Pontificis constantia, Zelo ac severitate Lotharingiæ Dux ad mitiora inclinare videbatur, ac propterea ad eundem literas dedit submissione plenas, ex quibus Pontifex ea, quæ prius Ducis nomine scripta ac promulgata fuere, aliena potius mente & suggestione prodiisse conjectabat. Insu-

per Dux suum Codicem in aliquibus Sæc. XVII.
 emendari curavit, sicque emendatum A. C. 1704.
 Pontifici transmisit: Verum Papa vul-
 nus libertati Ecclesiasticæ priori Con-
 stitutione illatum minime sanatum fuisse
 ratus, hunc quoque libellum die vi-
 gesima nona Julii reprobavit datis ad
 Ducem hisce literis: „Dilecte Fili, gau-
 demus, quod eo sis in sacrosanctam
 „Dei Ecclesiam animo, ut ejus jura
 „tueri, & facta tecta servare intendas,
 „non convellere, aut imminuere. Id
 „porro, dilecte Fili (quidquid non-
 „nulli minus æqui rerum æstimatores
 „Tibi forte suggesserint) minime præ-
 „stitisti novo edito libello Nobis trans-
 „misso, in quo Constitutio, seu Ordi-
 „natio quædam ampliativa, ut nun-
 „cupant, continetur; ea siquidem con-
 „firmari potius primæ a Nobis repro-
 „batæ Constitutiones videntur, quam
 „emendari. Quare novam ista consti-
 „tutionem eidem, cui priores, censuræ
 „obnoxiam fore dubitandum non est.
 „Si igitur vere Nobis, si Ecclesiæ, si
 „Deo ipsi satisfacere velis, ut profecto
 „velle Te credimus, nihil agere con-
 „sultius potes, quam si nostris, ut sane
 „probum, & catholicum Principem
 „debet, editis hac de re decretis obse-
 „quaris, iisque omnibus, quæ adver-
 „sus Ecclesiarum jura, & libertates ab
 „ali-

Sæc. XVII. „aliquot annis in Nobilitatis tuæ ditio
 A.C. 1704. „ne innovata sunt, prorsus abolitis, ac
 „de medio sublatis, cuncta in pristini-
 „num, ac eum, in quo antea erant,
 „statum plene restituas. Id autem
 „nunquam efficies, si mundanæ tan-
 „tum prudentiæ (quæ apud Deum
 „stultitia est) homines, quique sue
 „potius fortunæ, privatæque utilitatis,
 „quam decoris, atque conscientiæ,
 „adeoque & veri commodi tui ratio-
 „nem habere dignoscuntur, audias,
 „eorumque consiliis morem geras. Audi
 „potius, dilecte Fili, vocem Patris
 „tui, qui vera Te charitate diligens,
 „non quæ sua sunt, sed quæ Jesu
 „Christi, Ecclesiæque ejus quærit, &
 „Tibi quærenda suadet, ideoque, &
 „de maximo est Nobilitatis tuæ bono,
 „ac dignitate sollicitus, nosque mole-
 „stissima hac cura exime, qui satismul-
 „tis, ac nimis gravibus undequaque
 „oneribus premimur: Neque enim De-
 „causam deserere Nobis liberum, ne-
 „que in tanta Ecclesiæ, & Ministro-
 „rum Christi injuria filere integrum est,
 „nec demum ipsius animæ tuæ salu-
 „tem, quæ Nobis a Domino commissa
 „est, negligere. Omnia speramus ab
 „eximia, ac singulari pietate tua, quin
 „etiam Nobilitatem Tuam rogamus, at-
 „que obsecramus in Domino, ne Te
 „eorum

„eorum abripi assentatione finas, qui
 „tum maxime Te Republicæ quæstum
 „fecisse putant, cum aliquid Ecclesiæ
 „detraxerint. Age igitur, dilecte Fili,
 „redditisque Deo, quæ Dei sunt, splen-
 „dido avitæ pietatis exemplo, suscepti
 „regiminis auspicare primordia, ut
 „omnibus palam fiat, Te Domini Sa-
 „cerdotes ante tribunal Christi non ac-
 „cusatores, sed deprecatores velle,
 „subjectisque tibi populis non nisi pro-
 „pitio primum, ac favente Deo bono-
 „rum omnium largitore, plenam feli-
 „citatem præstolari.,

Sæc. XVII.
 A. C. 1704.

Paterna hæc Pontificis monita ac
 preces tantum effecere apud Leopoldum
 Ducem, ut rursus die vigesima
 Martii anno sequenti non modo datis
 literis suum desiderium excolendæ omni
 officio Pontificiæ benevolentia, suam-
 que observantiam in Dei Ecclesiam, &
 Sanctam Sedem profiteretur, sed insu-
 per Legatos suos Romam ad Papam
 mitteret, idem Ducis propositum tes-
 taturus, quapropter Clemens Papa
 die decima nona Maij has ad Ducem
 dedit literas: „Ex hac tua significa-
 „tione in spem firmam adducimur, te
 „curaturum esse eandem voluntatem
 „tuam reipsa comprobare, neque pas-
 „surum esse ulla a te filialis, ac debiti
 „in Nos, atque in eandem Sedem cul-
 „tus

Sæc. XVII. „tus documenta desiderari in negotiis
 A. C. 1704. „constitutionum, quæ isthic in lucem
 „editæ fuerunt, cum probe intelligere
 „possis, quod sine valde culpabili ne-
 „glectu commissi Nobis desuper Officii
 „fieri non poterat, quin Constitutionum
 „ipsarum, & voluminum, in quibus
 „illæ continentur, lectionem, retentio-
 „nem, & usum fidelibus interdicerem-
 „us, ex quo in eis quam plurima
 „juribus ac libertati Ecclesiæ manifeste
 „adversantia offendimus. Cum enim
 „positi simus a Domino creditas Nobis
 „oves salubriter pascere, nihil tam ad
 „munus nostrum pertinet, quam ubi
 „eas (oblatis propositisque noxiis pa-
 „scuis) in discrimen adduci adverti-
 „mus, Pastoralis vigilantia incunctan-
 „ter occurrere, & submoto etiam pe-
 „riculo, spirituali ipsarum Saluti pro-
 „vida sollicitudine consulere. Hinc
 „est, quod non minus ad tuendam,
 „atque asserendam, ut par est, Apo-
 „stolici nostri Decreti, & Judicii in eo
 „a Nobis lati auctoritatem, quam ad
 „viam sternendam, cujus ulteriori rei
 „ipsius discussioni, illud in primis, ac
 „que ante omnia necessario agendum
 „sit, ut de medio tollantur impedi-
 „menta, adversus præfatum nostrum
 „decretum, non sine gravi scandalo in-
 „terjecta, ipsumque decretum publice
 „pro-

„prodeat, ac exacte observetur, ne fo- Sæc. XVII.
 „veri videatur malum, quod congruo, A. C. 1704.
 „paratoque remedio illico auferri potest.
 „Quod itaque alias Paterna charitate
 „te hortati sumus, dilecte Filii alacri-
 „ter perface, & consiliis, ac monitis
 „nostris acquiesce. „

Tandem vero Dux novam sui Co-
 dicis editionem, in qua nihil de Ec-
 clesiasticis sed duntaxat de profano Do-
 minio & regimine statueretur, se ad-
 ornaturum per suos Legatos anno hujus
 sæculi sexto Pontifici significabat: id
 quidem pergratum accidit Pontifici,
 qui tamen ut ulteriori contentioni om-
 nis præcideretur occasio, modum, quo
 hanc editionem fieri vellet, Duci præ-
 scripsit, hancque in rem die decima
 sexta Junii ad eundem has dedit literas:
 „Quam pro reparandis Ecclesiæ juribus,
 „& pridem per ablegatos tuos, & nu-
 „per datis etiam ad Nos literis obtu-
 „listi, novi Codicis editio, quo nihil
 „prorsus de iis, quæ ad Ecclesiam
 „spectant, statuatur, sed ea tantum,
 „quæ ad sæculare Dominium, & re-
 „gimen pertinent, præscribantur, per-
 „grata quidem futura Nobis est, &
 „luculentum eximie pietatis tuæ uni-
 „verso Catholico orbi testimonium præ-
 „bitura. Verum ut tota res debito fine
 „concludatur, ac integra Nobilitati tuæ
 Hist. Eccles. Tom. LXVII. M „glo-

Sæc. XVII. „gloria de servata Ecclesiæ libertate,
A. C. 1704. „ac dignitate permaneat, necessarium
 „omnino esse duximus, iisdemque ab-
 „legatis tuis jam a pluribus mensibus
 „significari mandavimus, ut expressa,
 „& omnimoda veteris per Nos repro-
 „bati Codicis Leopoldini, necnon edi-
 „tarum subinde ordinationum, quas
 „additionales, seu ampliativas vocant,
 „abrogatio in eodem novo Codice conti-
 „neatur. Ad hæc literæ illæ, seu fo-
 „lia, quibus Nobilitatis tuæ nomine
 „Brevium nostrorum adversus eundem
 „Codicem, actumque appellationis Pro-
 „curatoris Generalis Curix tuæ publi-
 „catio in ditionibus tuis interdicta fue-
 „rat, prorsus aboleantur: omnia de-
 „num edita, atque Decreta sive tuo-
 „sive ejusdem Curix tuæ nomine ad-
 „versus Ecclesiæ jura, libertatem, &
 „jurisdictionem hæctenus quomodocum-
 „que edita, quæve alias Sacrorum Co-
 „norum, Constitutionum Apostolica-
 „rum, & Sacri potissimum Concilii Tri-
 „dentini Sanctionibus repugnant, pe-
 „nitentia revocentur, ac de medio tol-
 „lantur. Hæc porro omnia, quemad-
 „modum abs te expetere, ac require-
 „re Pastoralis Nos debiti nostri necessitas
 „ipsa compellit, ita quamprimum a te
 „explenda, atque ut pium, ac vere
 „Catholicum Principem decet, æquo

„an

Sæc. XVII.
A. C. 1704.

„animo exequenda fore, præclara, No-
 „bisque comperta Nobilitatis tuæ pie-
 „tas, Zelus, atque religio pollicentur.
 „Ea vero re nihil animæ tuæ Saluti
 „consultius, nihil Ecclesiæ dignitati
 „æquius, nihil denique Nobis, qui te
 „sincero corde diligimus, tuamque,
 „dum hæc scribimus, reipsa utilitatem
 „curamus, efficere jucundius poteris.
 „Cum præsertim omnibus palam sit,
 „tuaque etiam prudentia satis perspi-
 „ciat, eo Nos loco positos esse, ut nisi
 „muneri nostro deesse, graviterque a-
 „pud æternum Judicem neglecti Pastro-
 „ralis Officii rei esse velimus, prædicta
 „omnia diutius dissimulare nequaquam
 „possimus. Quamobrem Nobilitatem
 „tuam rogamus, & obsecramus, imo
 „& tanquam Deo adhortante per Nos
 „requirimus & fidenter admonemus,
 „ut poststabis eorum Consiliis, qui
 „terrena sapiunt, & quærunt, quæ sua
 „sunt, non quæ Jesu Christi, nostris
 „potius, qui de tua, tibi que subjecti
 „Populi sumus felicitate solliciti, vo-
 „cibus obsecundes, deletaque omni
 „querelarum materia erga sanctam Ec-
 „clesiam, cujus te verum Filium pro-
 „fiteris, ejusque Ministros, de quibus
 „præcipit Dominus: *Nolite tangere Chri-
 „stos meos*: ita te geras, ut, quod ma-
 „xime cupimus, amore duntaxat te-
 „cum

Sæc. XVII. „cum agere, nonnisi beneficiis certare
 A. C. 1704. „in posterum debeamus. „

Ægerrime tamen ferebat Dux, quod
 suum Codicem emendatum anno hujus
 sæculi quinto a S. Inquisitionis Congre-
 gatione Mense Decembri Anno 1707
 inter ceteros libros damnatos recenseri
 comperiret: quocirca Pontifex anno
 sequenti die decima octava Januarii
 ad hæc Ducis querelas hæc respondit:
 „Probe tenemus, nos Anno 1705. die
 „29. Julii ad Te scripsisse: commen-
 „dari quidem a Nobis uberes Filialis
 „tuæ devotionis significationes, illas
 „que a Nobis accipi, tanquam argu-
 „mentum eorum, quæ a Te expecta-
 „bamus, sed tamen horum nihil hæc-
 „nus præstitum esse ea ordinatione,
 „qua confirmari potius prima a Nobis
 „reprobata, quam emendari videbatur
 „ac propterea ordinationem illam tum
 „quidem editam fore proculdubio et
 „dem, qua priores, censuræ obnoxiam.
 „Atque id postmodum evenit, cum
 „vulgatum est idem Decretum, cuius
 „publicatio eatenus dilata fuit, quate-
 „nus præfata Congregatio sancti Officii
 „consueto more retento, latum de sin-
 „gulis libris, qui in dies prodeunt, ju-
 „dicium tum demum profert, cum eos
 „quos damnandos censuit, uno eodem-
 „que Decreto nominatim comprehen-

„fos interdictos esse publice denunciatur: *Sæc. XVII.*
 „id quod in hoc Decreto, sicut in ante *A. C. 1704.*
 „actis, servatum esse, si tempora, qui-
 „bus excusi sunt, conferantur, facile
 „intelligitur. Quæ cum ita sint, &
 „novi nihil peractum sit, ne dum æquo
 „animo ea in re esse debet Nobilitas
 „Tua, sed sane parato ad faciendum
 „satis tum votis nostris, tum partibus,
 „quæ Tibi ipsi incumbunt. Quo vero
 „id commode, ac accurate perficere
 „possis, habeas, oportet, præ oculis
 „alias nostras die decima sexta Mensis
 „Junii anni millesimi septingentesimi
 „sexti ad Te pariformiter conscriptas
 „litteras, quibus si per omnia confor-
 „mari fategeris, rem totam recte con-
 „ficiet. Nos sane in summa expecta-
 „tione sumus, ut contenta in eis exe-
 „cutioni quamprimum demandentur,
 „quemadmodum a Te factum iri non
 „semel tuo nomine certo Nobis est af-
 „firmatum, sed adhuc quidem ea spe
 „detenti, nihil tam cupimus, quam ut
 „abrupta omni mora tuam fidem libe-
 „res, nostramque simul ac tuam Con-
 „scientiam exoneres. „

Tenuit hæc controversia usque ad
 annum hujus sæculi decimum, quo tan-
 dem Dux raro admodum docilitatis,
 atque observantiæ exemplo utrumque
 suum Codicem ipse abrogavit, no-

Sæc. XVII. vumque Pontificiæ voluntati apprimè
A. C. 1704. consonum promulgari iussit, palam
 testatus, quod cuncta in ejus Ducatu
 contra Ecclesiæ jura typis edita, scri-
 ptaque, retractare, ac nulla & irrita
 esse, declarare paratus sit: Eapropter
 Pontifex die trigesima Novembris
 has gratulatorias literas ad eundem
 dedit:

„Quemadmodum ex literis, quas
 „Nobilitas tua die vigesima tertia Maii
 „millesimi septingentesimi octavi ad
 „Nos dedit, ubi scilicet veteri, quem
 „antea ediderat, abrogato Codice, no-
 „vum promulgavit, non obscure per-
 „cepimus, Te non alia ratione id e-
 „gisse, quam ut Paternis nostris moni-
 „tis obsecundares, ac filialis tuæ in
 „Nos, & in hanc sanctam Sedem de-
 „votionis certum Nobis argumentum
 „exhiberes: Ita nunc nedum ex aliis
 „tuis literis nuperrime, nempe die de-
 „cima octava labentis mensis ad Nos
 „datis, verum etiam ex documentis
 „in eisdem contentis peculiari, ac præ-
 „cipuo animi nostri gaudio cognovimus,
 „hoc ipso intuitu Te adductum fuisse
 „ad alias insuper proferendas declara-
 „tiones, quibus illæ, quæ hac in re
 „subortæ fuerant, difficultates penitus
 „tollerentur, simulque omnibus notum
 „faceres, Te in ditionibus tuis vere in-
 „tegrè

„tegra esse velle Ecclesiæ jura, quæ Sæc. XVII.
 „Nobilitas tua Zelo plane non degeneri, A. C. 1704.
 „ac Principe vere Catholico prorsus
 „digno profitetur, statuisse se quacum-
 „que occasione, vel cum suæ ipsius
 „vitæ discrimine, tueri semper, ac cu-
 „stodire. Quod sane gaudium nostrum
 „auctum magnopere fuit propter exi-
 „miam pietatem, qua non modo para-
 „tum Te esse testaris revocare, delere,
 „ac irritare quodcunque Edictum, ac
 „quælibet acta, si quæ forte a Te, vel
 „ab Administris, ac officialibus tuis
 „contra rationes Ecclesiæ, post con-
 „stabilitam in istis regionibus tuam au-
 „thoritatem, exiisse, ac confecta fuisse
 „constaret, sed illa tu ipse nunc tem-
 „poris actu, reque ipsa, & cum effectu
 „revocas, deles, atque irritas. Ex
 „quibus Nos probe intelligentes, quo
 „studio Nobilitas tua se conformare cu-
 „raverit sensibus nostris dudum tibi ex-
 „plicatis, post debitas bonorum om-
 „nium Authori Deo gratias ex corde
 „actas, Paternæ charitatis nostræ offi-
 „cia a Te convertimus, illud tibi pol-
 „liciti fervens in Nobis esse desiderium
 „exhibendi tibi præclara benevolentix
 „nostræ testimonia, dum interim divi-
 „nam bonitatem enixe precamur, ut
 „tibi liberalis esse velit eorum mune-
 „rum, quibus eos affluenter ditare

M 4

„solet,

Sæc. XVII „solet, qui dignitatem, ac jura Eccle-
 A. C. 1704. „siæ salva, & illæsa præstare satagunt,
 „quod constanter, ac egregie factum
 „iri confidimus a Nobilitate tua, cui
 „Apostolicam Benedictionem peraman-
 „ter impertimur.

§. L.

*Libelli in causa Sebasteni Archiepra-
 sulis a S. Inquisitione proscripti.*

*Causa
 Quesnell.
 pag. 157.*

Jam supra memoravimus, quod Ques-
 nellus Coddeo Sebasteno Archiepi-
 scopo ad S. Congregationis quæsitæ re-
 sponiones suggererit, & præfati Ar-
 chipræsulis Procurator eas Romanis li-
 teris excudi curarit: cum autem in iis
 plurimæ continerentur doctrinæ ad-
 modum suspectæ, quas pro sua defen-
 sione Coddeus Romæ typis vulgaverat,
 hinc Sacra Inquisitionis Congregatio
 hoc anno adversus eas die tertia Apr-
 ilis sequens edidit decretum: „Sanctif-
 „simus Dominus Clemens XI. Papa
 „prædictos infra scriptos libellos, vide-
 „licet: *Declaratio Archiepiscopi Sebasteni
 Apostolici in Hollandiæ Missione Vicarii
 super pluribus, quæ tum ad ipsum, tum
 ad illam pertinent, interrogationibus. Romæ
 typis Reverendæ Camerae Apostolicæ 1701.*
*Responsiones Archiepiscopi Sebasteni in
 Belgio fœderato Vicarii Apostolici ad scri-
 ptum*